

PANEGYRIS GRATULATORIA
HONORIBUS
REVERENDISSIMI DOMINI
CASPARI ZECHMEISTER
Abbatis B. M. V. de Szászvár.
DISTRICTUS KISMARTONENSIS VICE-ARCHI DIACONI.
PAROCHI
LIBERAE REGIAE CIVITATIS KISMARTON.
EJATIS
ALTARIAE ad S. ANTONIUM P. BENEFICIATO.
UNIONIS
CATHOLICAE SODALITUM OPIFICUM
PRAESIDI
etc. etc. etc.
OCCASSIONE INSTALLATIONIS
IN PERPETUI CULTUS MONUMENTUM
A CONFRATRIBUS FRANCISCANIS
EIDEM OBLATA.

1883.

Reverendissime
Abba Pater!

Tali Te nomine jure meritoque vocabo.
Sume, precor, musae, parva tributa meae.
Vivat io! resonant laetae Kismartona Urbis
precantium voces
Vivat io! repetunt fervido corde Cives
Exultat Praesul!
Applaudit Patria
dignis

Dum Caesar statuit praemia justa viris.

Abba Pater

Prefiosa Dioecesis Jaurinensis Gemma
ad multos annos

Vive!

Per altas exultantis Cleri et populi voces,
plausus, vota, panegyres.

* * *

Quondam erat felix ille Sacerdotum Phoenix,
qui singulari commendationis epiphonemate
gloriari ausus fuit,

Se in fidelium suorum gremiis secure dormire
posse:

Quid enimvero est somnus?
gelidae nisi mortis imago,

— 3 —

*Ehrengedicht an Kaspar Zechmeister
Abt-Stadtpfarrec in Eisenstadt.*

quid sunt subditorum gremia?
nisi amica benevolentiae coemeteria.

Majus

Tibi amor Tui concinnavit encomium:
In Tuorum pectoribus vigilas perpetuo
pro quibus vigilas,
et eorum vita jugiter vivis
quorum

publica, ut vivere possint
Anima, Cor, tutelare numen es.
Hoc est vere Abbatem esse
eligere

Cordium Imperatorem fieri
et Throni loco
animos filiorum potius
quam aurum et ebur inscendere;
hoc est Patrem esse
Sceptro amoris eminere
et

Principem omnium
residere in omnibus.

Abba Casparus Vive!

Aureum Dioeceseos ornamentum.
A Tui Patroni auro pretiosi fieri possumus:
Sub Tuae gubernationis palladio
fulgidi vivimus

et
Inter oborta dignitatis Tuae gaudia
Tibine Honorem
aut

Te Honori gratulemur
adhuc apud nos in ambiguis est —
hoc tamen certum

Te honorem diuturno labore et cura
talem desideravisse
Qualem Te indoles Tua et virtus pridem fecit:
Virum sua fortuna dignum et huic dignitati
natum;
Qui ituro in posteritatem exemplo ostendes:
Non ab honore Abbates
Sed ab Abbatibus honorem exornari.

Abba Pater Vive!

Venerabilis Cleri Districtus Kismartonensis
Caput et Corona!
Prona ecce Tibi membra sternimur
per acclines omnium
procede sublimis cervices.
A Te pro Te sapere volumus Tecum
pro Te velle.
Facundus orator Tui amor
Pectoribus nostris Te persvasit
alia non indiges panegyri.
Epistolae Tuae commendatitiae vivimus;
Animi nostri ad obsequium Tuum
cerei, non alio quam Tuae Voluntatis sigillo
gaudent obsignari.

Abba Pater Vive!

Laetitiae Confratrum Tuorum amplissime
Fundator.
Si delectat gratulantium laeta periphrasis
obtusos nostros intueri:
Specula sumus,
Quae nullam novimus referre imaginem nisi Tuam.
Artifice nimirum gratitudinis
Eurippo

Te Tibi refundimus.
Arcus et Colossos non desidera
Quod numeras Confratrum ingenia
Tot honoris Tui conspicias elogia.

Abba Pater Vive!

Inclitae Urbis Kismarton
ze'osissimus Parochus
Virtutum nobile Palladium!
Te a Te
non a thesauris aestimamus.
Non in Te fortunam sed Te
in fortuna veneramur.
Magistra fortunae Virtus agmen ducit
et meritum honoris tributum indic't.
Adest a latere Tuo nequaquam separabilis Achates
Justitia,
Mens Dei, harmonia Reipublicae
Rerum omnium sustentatrix.
Adest Aequitas soror
Clementiae
Princeps bonorum Pastorum gloria!
Adest comis Severitas cum Humanitate,
Adest Magnanimitas
Adest reliqua super numerum et censum
Honesti familia.
Nam qui uni Virtuti fores aperuit omnibus
domicilium elocavit;
Ita sociale singularum cum singulis
vinculum est:
Omnes habet qui unam
Tali tantoque stipatus exercitu

Dum Deo
Ejusque Sacris totus vivis devotus
nihil eorum quae
Patriae et ejusdem Patri
Ecclesiae et verbo Dei
Toti generi humano
justa sunt
intermittis;
non potes non honorari
Dignissimus Abbas
Parochiae Pater
Perennis Animorum omnium Incola.
Jam vero,
Si vera promenti, apud ingennos fides est:
meliore supra Catullum voto,
potiore supra Nasonem Metamorphosi
totus lingua fieri exopto:
Ut integram Tibi valetudinem
totus gratuler
Ad multos annos!
vel:
Ut nobilius voveam, totus verbum esse
amaverim:
Ut animi in Te mei propensionem
perpetua factorum elocutione
enuntiem;
aut denique,
quod ego et Tu malumus: totus
Cor fieri
totus Cor vivere desidero, ut nihil
nisi nonamare nesciam Te
Abba Pater.

Vive.

Fave.

P. Th. L. O. S. F.